

**AD REVERENDISSIMUM DOMINUM CARDINALEM ANDEGAVENSEM DIDACI
MUROS REVERENDISSIMI DOMINI CARDINALIS HISPANIE SECRETARII DE
VICTORIA SERENISSIMI REGIS HISPANIARUM CONTRA MAUROS
GRANATENSES ANNO LXXXVIII FELICITER PARTA EPISTOLA INCIPIT**

Scripsi anno superiore, reverendissime Pater et amplissime Domine, quanta virtute et constantia bellum Malacense susceptum absolutumque sit. Nunc vero, cum luce clarius intuear christianissimos Ferdinandum et Helisabeth, regem et reginam nostros, sancti incepti cupiditate flagrare, celestia numina votis suis aspirare, tuam preterea amplitudinem avido huius rei intelligende desiderio teneri, haudquaquam par fore iudicavi vel sacras maiestates, silentio indulgens, hac laudis et glorie mercede frustrari (nec enim aliud tanta virtus laborum periclorumque premium desiderat) vel magnitudinem tuam absentisque omnis tam religiosa letitia fraudare, quem quidem laborem, etiam si mihi non mandasses, clarissime Antistes, tanto libentius vendicassem quanto fulgentes horum regum virtutes (inter quas eorum felicitas minima est) uberiorem scribendi materiam omnibus, vel mediocri ingenio preditis, prebent.

Nam (ut alia omittam) quis non miretur ac celestibus potius quam humanis operibus tribuat quod parva nostrorum manu, parvo aut nullo hausto cruento (quod optare fas esset nemini), hoc anno gesta sunt, que, priusquam scribere aggrediar, non ab re fuerit, quo magis divina virtus appareat, quantum negotii atque difficultatis expeditio huius estatis habuerit paucis expedire cum regie maiestates externo anno et Bellezmalace urbis expugnatione et Malacensi obsidione (que longior ac difficilior opinione omnium fuit) tum etiam stipendio militibus solvendo alimentisque in castra vehendis publicum erarium exhaussissent ac insuper es alienum grande conflassent, multi preterea ex regio exercitu robora militum interissent et omnes denique, longo labore defatigati aliisque permultis incommodis vexati, nequaquam bello sequenti anno inferendo suffecturi essent, repente emersit aliud horribile et intolerabile malum quod expeditionem iam dudum regia mente conceptam non modo differre verum etiam prorsus evertere videbatur: nam tam grave sydus Bethycam fere totam (unde precipue delectus habendus commeatusque importandus erat) hoc anno afflaverat, ut civitates et oppida, peste laborantia (miserabile dictu), incolis vacua, funeribus referta offenderes; nequicquam tamen miseri conantur evadere, qui, dum secreta loca petunt et in solitudinem et ad feras configuiunt, quocumque profecti, contaminato passim spiritu polluti, eos horrenda lues et inexorabile fatum persequitur. Verum, licet hec maximo essent impedimento et que facultatem rei bene

gerende optimo et potentissimo cuiquam imperatori adimerent (vanus enim inanisque est sine viribus Martis conatus), non tamen usque adeo regias maiestates, altum quidem et erectum animum pre se gerentes, deturbarunt ut a sancto proposito retardarent, non immemores illius Dominici precepti: Non debet orator, dignum opus exercens, vultum in sua terga referre.

Sed quoniam, ob ea que supra commemoravimus, copie in Bethica delectus haberi aut commeatus importan non poterant, per Tarragonensem plagam que Bethice in ora maritima coniungitur, bellum geri placuit, tum quia hostibus Abdaram, alias Iliberam, que Almeria dicitur, Guadixem et Bazam, magnas et opulentas hostium urbes, incolentibus vicinior est, tum etiam quo earum situs et loca specularentur que a nostris, eo quod in interiori Ismaelitarum parte seposite sunt, nondum vise aut explorare fuerant, nec quibus copiis ad illas oriendas expugnandasque regi opus foret satis cognitum. Itaque, cum primum, adventate vere, ex regnis Aragonie et Valentie, quo se hyematum contulerant, in hanc civitatem Murciam in fine Tarragonensi et in agro Cartaginensi sitam, que commodior belli sedes hac estate visa est, pervenere, illico, fractis difficultatis vinculis, de bello gerendo cogitarunt; nam cum ea mente sanctam expeditionem suscipiant ut religionem Christi potius ampliare quam terrenum imperium studeant, animum supra necessitates erigunt, nihilque tam arduum atque difficile futurum arbitrantur quo virtus non possit evadere, qua longe plura quam viribus vincunt. Igitur a longinquis regionibus, quando cum vicinis peste labefactatis nullum erat commercium, milites delegere, pecunias, commeatum machinas, tormentaque enea, ferrea, saxea, lignea et reliqua bello necessaria imperare ceperunt. Clasem preterea (quam semper in freto Herculeo et Iberico mari ad fugam Granatensium cum captivis christianis intercipiendam subsidiumque Afforum inhibendum instructam tenent) presto adesse iusserunt; qui quidem delectus longe minores solito habitu sunt eo quod hic ager Cartaginensis adeo brevis, aridus et sterilis est ut nec magnarum copiarum capax nec exercitui alendo copiosus existat, simul quod rex hoc anno maiores hostium civitates nequaquam adoriri aut oppugnare, sed earum castrorumque locandorum situm tantum speculari decreverat.

Cunctis igitur leto gratoque animo imperata facientibus, et terrestres copie in civitatem Lorcam, que hostibus per orientalem Tarragonensem meridiem versus proprietor est, ad diem venere et valida classis eodem quoque tempore in mari apparuit. Itaque, congregato exercitu, magnanimus rex, quarto idus iunii divinis auspiciis a Larca cum copiis movens, civitatem Bariam olim Abderam, et reliqua oppida, arces et castella, in ora maris et in mediterraneis Abdaram, alias Iliberam, Bazamque versus sita, in primis

adoriri atque obsidione cingere statuit; nec enim aliisque illarum trium civitatum, bis prius non expugnatis aut deditis que permulta et munitissima sunt queque et vicinitate et multitudine príncipes ipsas munitiores reddunt, tuto obsideri aut capi nec commeatus ceteraque bello necessaria in castra absque magno nostrorum periculo et incommodo, convehi possent. Quocirca speculatores primo mox marchionem Gadicensem, virum clarissimum et qui in hoc sancto bello plurimum obsequi immortali Deo ac suo regi prestitit, prefectumque Murcie cum parte exercitus ad civitates et oppida Maurorum solicitanda et hostiles animos temptandos locumque castrorum et future obsidionis occupandum muniendumque premitit. Ex leges vero, nostrorum adventu cognito, regiam virtutem cum felicitate horrentes, tanta formidine affecti sunt ut illico de ditione cogitarent, potentissimi regis adventum tantummodo prestolantes; quo paulo post cum reliquis copiis adventante, barbarorum animi adeo conterriti sunt ut venienti facile sesse crediderint, portas aperuerint, civitates, oppida et castella que in eo Bethice angulo sita erant, patefecerint, facultatem manendi aut optionem quo mallent abeundi tantummodo paciscentes. Rex idcirco, secunda fortuna usus, primo civitatem Bariam, antiquam quidem et ore maritime propinquam, cepit, deinde Byznaluyt, alias Caveas, Moxacar, Caprera, Trahia, alias Theresa, Xorba, Nixar, Huebro, Trabeles, que oppida in ora maritima Abdaram versus sita sunt. In mediterraneis vero hec capta sunt: Gueyral Zugena, Huercalveyra, Lubreyn, Bidar, Xerana, alias Serena, Lulla, Torillas, Lucaynina, Alborax, alias Alborea, Cantoria Finix, Luar, Coadbar, Bentala, Belesic, Caxoro, Inclesebreis, Xercal, Lulladecaxaro, Tarba, Xercos, Tahalic, Benimma, Benitarafa, Haminadla, Aximicid, Alcudia, Alhabia, Xenex, Benegnazil, Benelibil, Almanches, Benezano, Partaloba, Oria Albox aliaque loca et castella minutiora, quorum nomina, quia ignobilia et obscura sunt, pretermittenda censui.

His celeriter et uno (ut aiunt) spiritu captis alimentisque et militari presidio communitis, invictissimus rex, etsi voti sui compos effectus esset; multo plura enim hoc anno parvo exercitu ceperat (manus autem Domini non est abbreviata) quam aliquo superiorum annorum expugnaverat ulterius tamen proficisci parat. Igitur, idoneo milite ad castrorum impedimentorumque custodiam ad Bariam relicto, ipse cum expeditis copiis profectus, interiora hostilis terre viscera penetravit, oppida, loca, saltus eorumque situm (ut egregium decet imperatorem) exploraturus eoque cursu ad Abdaram, alias Iliberam, usque applicuit. Ibi parumper moratus et situ loci et omnibus undique speculatis, hostibus provocatis levibusque preliis utrumque commisis, inde ad Bariana castra, ubi impedimenta reliquerat, feliciter regressus est. Et quamquam ad propria iam reverti nec ultra progredi constituisset, inter redeundum tamen Bazam visere et speculari decrevit. Igitur, motis

paulo post castris alimoniaque ad certum diem militi data, ad septemtrionalem plagam mediterraneaque hostium loca se convertit, ac per convallem Baze exercitum traducit, in qua felicitatem suam ei sepius aspirare gaudentem facile expertus est, nam, preteritis non contenta, Bellez Album, Bellez Rubeum, Hoscam Horcem, Galaeram, Caztillam, Culiar, Benamaurel, non contempnenda maurorum oppida, cum munitissimis arcibus in potestatem suam redegit. Quibus receptis ac valido presidio firmatis, ad Bazam speculandam ire contendit copiasque admovit, ibique, hostibus provocatis nec ultra menia obviam progredi ausis, levia certamina pro portis civitatis commissa sunt, in quibus plures hostium cecidere. Ex nostris vero, etsi aliqui iaculis ab urbe missis percussi fuerint, pauci tamen aut nullus desideratus preter Montese antistitem, qui cum paulo ante clam rege in castra venisset (nec enim coram licuisset ob aliqua temere perpetrata et ei a regia maiestate nondum condonata) dum, nimium visendi aut dimicandi avidus, menibus urbis plus equo infelix se applicat, hostili ictu per aera misso, traiectus interiit, sive divino nutu sive fato hominis iam appropinquante id acciderit nescio, Deus scit; hoc tamen non ignoro quod, licet nusquam melius cadere potuisset, si pugnans tamen occubuisse, forte vita comite incolumis evasisset seque ad secundiora reservasset Bacenses vero, cum ex urbe irrumpere nostrosque in castra iam redeentes a tergo invadere conarentur, non alacres nec incruenti inde abierte, nam, concitatis christianorum militum animis signoque felicitatis dato, permulti infidelum occisi, plures saucii et omnes denique male accepti in fuga spem salutis collocantes nostrisque insequentibus fugientes in urbes, non ulterius progressuri se receperunt

Ceterum his prospere gestis et omnibus undique speculatis templisque in locis religioni partis opera et munificenita regine erectis et divino cultui dedicatis, captivis preterea christianis qui in potestate exlegum erant libertati pristine redditis, ceterisque omnibus pro loco et tempore compositis, indulgentissimus rex receptui canere iussit. Itaque quinto et trigessimo die, postquam terras hostium ingressus fuerat, incolumi exercitu ac preda onusto, feliciter regressus, magno nobilium procerumque agmine stipatus, ac solemni antistitum et sacerdotum pompa ingentique populi clamore et gratulatione in modum triumphi exceptus, in edem dive Marie Maioris huius urbis, rem divinam de more facturus se contulit. Inde (pulchra regina, pulchro nimpharum choro decora, obviam ad limen aule usque progressa) in regiam se recepit. Licebit hic admirari miram rerum mutationem et humane inconstantie singulare documentum, nam, cum paulo ante permulta de hostium apparatibus nuntiarentur crederenturque non solum, ut hactenus fecerant, se strenue defensuros sed etiam bellum nostris ultro illatuos, quippe qui nullis antea armis, insidiis, terroribus, minis, cladibus, fame, ferro aut aliquo tormentorum

genere ad dditionem cogi poterant, sed feris vehementiores humanas prope vires excedentes, animasque mortis contemptrices gerentes (nichil enim fortius desperatis) propriam non uti conservandam tuebantur sed quasi iam perditam vendicabant. Nunc, versa vive, comminuit eos Deus ante faciem venti ut lutum platearum delevit eos, igitur, restincto impetu, inopes consilii et animo confusi antea dediti et sub iugum missi quam oppugnari sint cepti; et qui prius proprie necis avidus, uter prior occumbere certabat, nunc rabie mollita furorem gratulabundus contendit uti prior in dditionem veniat, adeo ut longe beator et maiori dignior inter eos habeatur qui prior imperata fecerit. Ludere fortunam dixisset antiquitas, nos tamen divine providentie cuncta tribuamus, cui prona facultas ardua planare et curva indirecta referre. Non incongrue conveniret hoc loco tante regie felicitati ille cesareus titulus in curru de victoria pontica inscriptus: Veni, vidi, vici; celestia cum terrenis, sancta cum prophanis conferre nefas esset. Haud secus enim felicissimus rex secundis, hoc est divinis, auscipiis usus, plurimorum dierum bellum magna celeritate confecit et ostentato marte, hostes (quod est pulcherrimum victorie genus) errore perdomuit.

Inter hec non sunt silentio pretereunda religiosissima regine officia, nam dum rex prospero marte hostes invadit hec lacrimis cum superis contendit, petuit ille ordinibus maurorum terras, illa celos precibus penetrat. Rex mortales, regina immortales superat. Hic hostes fidei oppugnat, hec celestes fide adoritur. Illi est bellum cum terrenis, huic cum celicolis, non tamen giganteo more, certamen. Ille acies, castella, victores leones, vtrices aquilas regit; hec puellarem virgineumque chorum, castum, sanctum, immaculatum ducit. Ille copias lustrat, hec sacra loca. Excubias castrensesque vigilias rex exercet et in hostem classicum cani iubet, at regina Christo antelucanos hymnos canit. Vir cesareus et fortis et bello idoneus, barbarorum feritate acie cohercit; cesarea coniux, de religione, viro, exercitu sollicita, vigiliis, supplicationibus, inedia, cum cetu femineo die noctuque immortali Deo varias preces fundens, maceratur. Nec his contenta in castra mittit qui hospitale regine (sic enim appellant) hoc est asylum pauperum, sauciorum omniumque egrotantium capax visant, prepositos et ministros, pia ministeria minus bene gerentes, arguant, increpant, abdicent, eorumque loco alios sufficient. Pretero pecunias, commeatus, supplementum et reliqua bello necessaria, viro affatim in castra missa aliaque permulta egregie prudenter ab bac sanctorum regula morum administrata quo fit ut non dubitem Deum optimum maximum meritis, integritate, religione tam sancte maiestatis talia operatum.

Reliquum est, reverentissime Presul, ut et catholice fidei propagatione et regia

gloria gaudeas. Gaudeant cuncti mortales pro eo quod christiane religionis incrementum ad se reddunt; sed nos hispani, quos duo micantia sidera regunt, pre ceteris felices, non modo gaudere sed etiam pre nimia letitia exultare debemus quibus cum non minor antea pugna cum flagiciis quam hostibus fuerit nunc, viciis ipsis, que prius regnabant, extirpatis et in exilium missis, tanta est pacis abundantia et iustitie ubertas ut Augusti tempora sub hoc imperio redire, aurea secula renovari cemamus. Inhabitat certe gloria in terra nostra, iustitia et pax osculate sunt; regem igitur et reginam nostros eternis litteris cunctis seculis linguisque celebrandos exaudiat Dominus, mittat eis auxilium de sancto et de Sion tueatur eos, tribuat illis secundum cor suum et omne consilium suum confirmet.

Hec pro mea in tuam Amplitudinem fide et observantia longe verius quam magnificentius scribere volui, ea lege ut, si quid minus erudite aut eleganter quod castigatissimas cuiuspiam aures offendat dictum sit, abs te, Pater amplissime, qui id a me tantopere efflagitasti, ratio exigatur, me autem excusset obsequium. Vale nostri memor. Murcie quarto Kalendas augusti, anno salutis octavo et octuagessimo supra quadrigentessimum et millessimum.